Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sue immaculatos in aduentu domini nostri Ihesu Christi soli deo saluatori nostro per Ihesum Christum dominum nostrum Ihesum magnificentia, imperium et potestas ante omnia secula et nunc et in omnia secula SECULORUM. AMEN.

EXPLICIT EPISTOLA SANCTI IUDE APOSTOLI.

Incipit prefacio sancti Ieronimi presbiteri in libro apokalypsis.

IOHANNES APOSTOLUS ET EUANGELISTA A DOMINO CHRISTO electus atque dilectus in tantum amore dilectionis ab eo est habitus ut in cena super pectus eius recumberet et ad crucem astanti soli matrem propriam commendasset, ut quem nubere uolentem ad amplexum uirginitatis asciuerat, ipsi etiam custodiendam uirginem tradidisset. Hic itaque cum propter uerbum dei et testimonium Ihesu Christi exilio in pathmos insulam mitteretur, illic est ab eodem apokalypsis ostensa describitur, ut sicut in principio canonis, id est libri geneseos, incorruptibile principium prenotatur, ita etiam incorruptibilis finis per uirginem in apokalypsi redderetur dicentis: Ego sum A et ω, initium et finis. Hic est Iohannes qui sciens superuenisse sibi diem egressionis de corpore, conuocatis in Epheso discipulis descendit in defossum sepulture sue locum, oratione completa reddidit spiritum, tam a dolore mortis factus extraneus quam a corruptione carnis noscitur alienus. Cuius tamen scripture dispositio uel libri ordinatio ideo a nobis per singula non exponuntur, ut nescientibus desiderium collocetur, et querentibus laboris fructus, et deo magisterii doctrina seruetur.

argumentum.

EXPLICIT PREFACIO. Incipit

APOKALYPSIS IOHANNIS TOT HABET sacramenta quot uerba. Parum dixi et pro merito uoluminis laus omnis inferior est. In uerbis singulis multiplices latent INTELLIGENTIE.

EXPLICIT ARGUMENTUM.

INCIPIT LIBER APOKALYPSIS IOHANNIS APOSTOLI.